

omnes rationes in particulari, vel eventus in Verbo cognoscant. Atque ita salvamus, quod vident ea quæ ad se spectant in Verbo, sed non omnia quæ ita spectant ad se, ut etiam pertineant ad nos, et ex futuro eventu temporis pendent, eo quod ita salvare debemus, quod in Verbo videat unusquisque quæ ad statum suum spectant, quod detur locus in multis, consulationi divinæ sapientiæ, et illuminationi superiorum ad inferiores circa hæc ipsa quæ aliquibus committuntur et ad se pertinent, ut sunt Angeli respectu eorum quæ suis officiis deputantur. Et primum supponit aliquorum nescientiam; secundum successionem in revelationibus quibus illuminantur, neutrum vero in formali ipsa visione admittendum est. Orationes autem et personas orantes (licet non semper impetrationem et eventum) beati vident in Verbo ut Div. Thomas quæstione illa VII de veritate et Concilium Senonense significant, a principio beatitudinis vident, quia in illa visione non est successio.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVI. Contra dicta obijcitur argumentum vulgare, quia si beatus videt in Verbo omnia, quæ ad statum suum pertinent, poterit minor beatus multo plura videre in Deo quam major beatus, atque adeo cum illa sit major beatitudo quæ plura videt in Deo ex penetratione divinæ essentiae, consequenter minus beatus erit magis beatus, quod manifeste implicat. Sequela probatur, quia bene stat quod ad aliquem minorem beatum pertineant plures res ratione status sui quam ad majorem beatum, verbi gratia ad aliquem regem de toto suo regno, vel pontificem de tota Ecclesia, vel fundatorem

religionis de progressu religionis; cum tamen ad aliquem beatum majoris gloriæ, verbi gratia, ad aliquem insignem martyrem vel Apostolum, aut ad S. Joannem Baptistam, tam multa singularia non spectent, nec ejus officio commissa sint. Nec valet dicere cum Cajetano quod solum videbit beatus in Verbo ea, quæ ad se pertinent pro tempore quo obiit, et incæpit esse beatus. Nam eodem modo instauratur argumentum, quia pro illo tempore potuerunt pertinere ad inferiorem beatum plura individua, quam ad S. Joannem tempore etiam quo adeptus est beatitudinem: ergo adhuc currit inconveniens, quod minor beatus videre poterit plura et plus de essentia divina, quam major beatus. Quod si dicatur hoc non esse ex majori penetratione divinæ essentiae, quia ad videndas creaturas existentes non requiritur majus lumen et penetratio divinæ virtutis, sed sola manifestatio divinæ voluntatis, qua vult eas existere, et ita potest sine augmento luminis per solam divinam revelationem seu ordinationem videri decretum aliquod ut liberum, sicut supra diximus. Contra est, quia hoc jam est recurrere ad voluntatem Dei, quæ pro suo placito manifestat creaturas quas vult, non pro diversitate luminis. Quod si ita est in diversis creaturis futuris, vel in diversis individuis intra eandem speciem, cur non sufficit eadem divina voluntas diversimode applicantis divinam essentiam in ratione speciei, ut diversæ creaturæ videantur etiam specie differentes? Unde communiter dici solet quod Deus est speculum voluntarium respectu beatorum.

XVII. Respondetur huic argumento varias solutiones juxta varias sententias adhiberi. Qui existimant creaturas non videri a beatis in Deo

per visionem beatam, sed extra per revelationem, et peculiare lumen, difficultatem non sentiunt, sed dicunt majorem beatum perfectius videre divinam essentiam, licet minor beatus plures extra Verbum habeat revelationes. Sed adhuc non evacuatur plene difficultas, quia plures illæ revelationes extra Verbum vel dantur intuitu beatitudinis, et causaliter sunt ab illa, vel non. Si dantur intuitu beatitudinis, ergo plures revelationes ex majori beatitudine causabuntur; sicut enim si in Verbo videret plures illas creaturas esset beatior, ita si ex vi beatitudinis exiguntur plures illæ revelationes, signum est majorem esse beatitudinem, quæ plures exigit revelationes. Si vero non dantur ratione beatitudinis, frustra dicitur plures creaturas videri a beatis in Verbo non formaliter, sed causaliter, si quidem ex illa beatitudine non causantur; et sic ad solam Dei voluntatem reducetur, quod plures dantur revelationes, vel pauciores.

XVIII. Qui vero ponunt videri istas creaturas in Verbo, communiter dicunt videri posse plures creaturas quantum ad individua existentia ratione status pertinentis ad beatum, sive hoc quod magis penetratur divina essentia, sed per hoc quod Deus revelat intra divinam essentiam aliquod decretum liberum suum, ut videatur ab isto in particulari, licet minor beatus sit, et in eo videt creaturas ut existentes, et quoad an est, quia sic per illud decretum volitæ sunt. Quæ est solutio plurium Thomistarum, et de illa videri potest magister Gonzalez hic disputation. xxxi, section. i, numero xxix, et Navarrette contr. xlv. Illam tamen irridet Vazquez disputatione I, capit. ix, tum quia de individuis singularibus loquebatur Divus Thomas et de existentibus

quando dixit in part. quæst. x, artic. ii, tanto plura videri, quanto aliquis fuerit beatior; tum quia etiam cognoscere individua pertinet ad perfectionem intellectus, et ad desiderium cognoscentis; tum quia si in duobus est æque perfecta visio non potest illamet esse ratio in uno videndi plura, in alio pauciora.

XIX. Cæterum istæ rationes non movent, nec potest negari quod aliqui effectus possunt cognosci in Verbo ita parce, aut in confuso quod visio plurium in Verbo non æquivalet visioni unius penetrantiori et clariori, aut etiam visioni latentioris et perfectioris creaturæ. Possunt enim videri plures creaturæ quoad an est, et præcise ut sunt existentes non comprehendendo illas, nec penetrando omnes rationes intelligibiles, et omnes habitudines, quæ in eis sunt ad alias causas aut fines, ut sæpe asserit D. Thomas loquendo etiam de creaturis existentibus, ut patet in iv, dist. xlix, quæst. ii, artic. v ad primum, et quæst. viii de veritat. artic. v ad i et ad v, et v contra gent. cap. lviii. Et sic non potest regulari major et perfectior visio penes pluralitatem rerum cognitarum, quando videntur solum quoad an est, et ut sunt existentes, non penetratis et comprehensis omnibus rationibus, quæ ad eas pertinent: sed maxime pensari debet perfectius lumen ex majori penetratione et comprehensione effectuum, aut quod effectus latentiores videantur. Certe omnes beati vident in Verbo mysterium incarnationis, nec tamen omnes penetrant speciales aliquas rationes illius, ut de Angelis affirmat S. Thomas I part. quæst. lvii, art. v, si quidem de eis illuminantur ab ipsa anima Christi. Videre autem in Verbo hoc mysterium ipsos beatos, manifeste indicant illa verba Christi Joan. xvii: *Hæc est vita æterna ut cognoscant te Deum*

verum, et quem misisti Jesum Christum. Dicimus ergo quod inferior beatus potest videre plura ad suum statum pertinentia, quam superior beatus ad cuius statum non pertinet tam multa, sed inferior beatus videt illa plura inferiori modo, et minus comprehendendo et penetrando illa plura, quam superior beatus illa pauciora, quæ forte erunt perfectiora sive latentiora, et perfectius penetrata. Ad videndum autem res quoad an est, et quoad existentiam præcise, non loquendo de penetratione quidditatis (id enim debet fieri ex vi penetrationis causæ et virtutis a qua continentur et derivantur) sufficit quod reveletur divinum decretum circa tales creaturas existentes eo modo quo supra diximus articulo secundo. Et in hoc sensu dicitur, quod cognoscere individua sub specie contenta non pertinet ad perfectionem intellectus per se loquendo, et est sermo valde formalis, quia scilicet supponitur cognita species, et totum quod pertinet ad quidditatem et solum deest cognitio individui quoad existentiam, seu an est in ipso exercitio, quod quidem majorem extensionem ponit in cognitione, sed non majorem intensiorem, aut perfectionem luminis, sed applicationem objecti. Et ex eodem lumine beatifico potest procedere quod diversa individua videantur, et diversæ visiones secundum extensionem fiant, quia vis a aliqua creatura in Deo quoad omne quod quidditatis est, per hoc solum, quod revelare velit Deus decretum suum circa existentiam individuorum potest omnia illa videre invariato lumine; sicut Angelus habens speciem repræsentantem leonem, per eandem speciem invariata videt omnia ejus individua, quando existunt sine novæ speciei infusione, sed per objecti applicationem et conformitatem ad hanc speciem: et apud

D. Thomam quæst. ix de verit. art. iv ad xi, unus Angelus per speciem innatam quam habet de altero Angelo cognoscit cogitationem ejus hoc ipso, quod Angelus cogitans vult cogitationem ejus ad alium ordinare. Sic ergo eadem species, et lumen potest esse ratio videndi plura vel pauciora extensive, intra eandem speciem, non intensive, neque ad videndum diversas species seu naturas, quia hoc requirit penetrationem divinæ essentiæ secundum quod est diversimode participabilis, et imitabilis per aliam speciem rei non intra eandem speciem ad diversa individua se extendens. Semper ergo salvamus quod magis beatus, dato quod plura individua non videat, beator erit, quia id quod videt aut est perfectius, et latentius inter creaturas visas, aut est magis comprehensive, et secundum plures rationes perfectius visum. Et quando D. Thomas docet in parte, quæst. x, art. ii, tanto plura videri a beato, quanto perfectius videt Deum, non loquitur solum de visione plurium individuorum, sed de omnibus absolute, nec quomodocumque, sed secundum majorem penetrationem, et comprehensivam, ac plurium rationum intelligentiam, sic enim plura videt, qui perfectius videt.

XX. Quod vero dicitur de Deo, quod est speculum voluntarium, hoc metaphorice accipitur. Et in metaphoris semper procedendum est cum præcisione quantum ad id, in quo sit analogia et similitudo. Et sic dicitur Deus speculum quatenus repræsentat creaturas ut causa earum, non quia species creaturarum resultent in Deo sicut imagines in speculo. Hoc enim proprie pertinet ad speculum, sed hoc modo potius creaturæ dicuntur speculum Dei. Et Apostolus dicit nos videre nunc in speculo, et ænigmate Deum, id

est, per species alienas. Et Filius dicitur speculum sine macula, quia accipit esse repræsentativum a Patre. Dicitur autem voluntarium speculum, quia Deus sua voluntate communicat visionem suis creaturis. Videatur de hac metaphora speculi D. Thomam quæst. xii de verit. art. vi et in hac quæstione art. viii ad ii. Eadem metaphora utitur Concilium Senonense in decretis fidei, et frequenter Augustinus.

XXI. Secundo, arguitur quia in cognitione naturali, determinatio ad cognoscendum ista potius objecta, quam illa reducitur ad diversam speciem seu applicationem speciei, non ad diversum habitum vel lumen, ut patet in ipsa potentia visiva, quæ sine novi luminis additione, aut nova virtute per solam speciem visibilem diversam, aut ejusdem speciei diversam applicationem, videt diversa objecta, et idem habitus scientiæ, v. g. philosophiæ ad diversas conclusiones extenditur sine novi habitus additione, ergo non requirit diversitas luminis ad videnda diversa objecta in Deo. Confirmatur, quia si requiritur diversum lumen, et perfectius ad videndam perfectionem creaturam, et non sufficit sola applicatio speciei determinans ad talem creaturam perfectiorem, sequitur quod qui videt perfectiorem creaturam in Deo, videat etiam omnes inferiores illa, quia hoc ipso quod lumen intensius manifestat superiorem creaturam, omnes ei inferiores patescere possunt, quia peccant minus lumen. Et sic beatus qui videt creaturam perfectiorem, videbit infinitas, quia infinitæ sunt illi inferiores.

XXII. Respondetur quod quando sub uno lumine continentur diversa objecta materialia, quæ indigent diversa penetratione causæ et virtutis in qua videntur, attingentia major

vel minor talium objectorum sic facta, id est, in majori, vel minori penetratione causæ, requirit etiam majorem vel minorem perfectionem in lumine, vel intensive vel extensive, sicut si scientia plures elicit conclusiones ex principiis, penetrantius videt ipsa principia in quantum illativa, et sic ipsa scientia perfectior est. Et sic si creaturæ videntur ut contentæ in essentia divina, et si ex vi penetrationis divinæ essentiæ videtur diversa quidditas et species creaturarum, debet etiam videri diversa participabilitas divinæ essentiæ, et sic lumen ipsum crescere ut talem manifestationem, et penetrationem majorem efficiat, potentia autem visiva ad videndum diversos colores non indiget majori penetratione, et deductione eorum ex aliqua causa, sed sufficit simplex intuitus sub eadem luce, quia in quantum colores illuminati eodem modo, et per eandem lucem videntur. Unde nisi unus color alio intensius videatur, non indiget perfectiori lumine. Si vero per deductionem ex aliqua causa videretur, indigeret majori manifestatione et penetratione virtutis causæ, ut diversum objectum ex illa manifestaretur, seu in penetratione illius videretur.

XXIII. Ad confirmationem respondetur quod repræsentata creatura perfectiori non sequitur, quod omnes inferiores repræsententur in particulari et distincte, sed sufficit quod in generali videat posse a Deo fieri inferiores alias in infinitum, eo quod licet illud lumen sufficeret ad videndum inferiores, non tamen est necesse quod illi uniatur divina essentia, ut repræsentativa est inferiorum, et causativa illarum; sicut etiam qui videt perfectissimum colorem, non est necesse quod videat omnes inferiores distincte, si non addit species illi applicata repræsentans illos. Hæc autem applicatio

divinæ essentiæ, ut repræsentativa inferioris creaturæ non debetur illi beato.

XXIV. Instabis : Ergo non provenit ex individuali luminis differentia, quod istæ creaturæ præ aliis videantur. Patet consequentia, quia si illud lumen esset intensius, videretur perfectior creatura, sed augmentum intensiōnis non variat individuationem qualitatis, ergo stante eadem individua qualitate luminis potest videre diversas creaturas, plures vel pauciores. Et confirmatur in habitu scientiæ, nam eadem numero scientia in eodem subjecto existens, potest extendi ad diversas conclusiones sine hoc quod corumpatur, nec dabitur aliquis habitus cognoscitivus, qui ex sola sua differentia individuali petat tot objecta cognoscere, et non possit plura si extendatur vel intendatur, ergo non est cur dicamus solum lumen gloriæ hoc habere ut ex sua individuali differentia petat, istos effectus videre et non alios.

XXV. Respondetur quod individuatō luminis potest considerari dupliciter. Uno modo solum quoad substantiam prout in sententia D. Thomæ et Thomistarum individuatō formarum sumitur ex unitate subjecti. Alio modo quoad statum beatificum, qui immutabiliter petit esse in subjecto ex ipso statu naturæ suæ, licet aliquando in præternaturali statu possit inveniri per modum transeuntis. Si primo consideretur individuale lumen, non exigit ita determinate has creaturas, quin si crescat intensive circa eamdem vel extensive aut intensive circa plures, non possit illas videre. Quod Deus de sua absoluta potentia facere potest augendo illud lumen, et sic procedunt instantiæ adductæ. Si secundo modo individuatō consideretur ex ipso statu immutabili quem habet lumen, et visio, sic cum deter-

minate datur a Deo petit determinatas creaturas videre, ita quod nisi status ille varietur, non poterit videre alias creaturas. Dicitur autem status variari si aliqua mutabilitas in intensiōne vel extensiōne videndi accidat, quia ex natura sua omnimodam petit immutabilitatem, cum sit actus vitæ æternæ. Unde patet ad confirmationem, quia habitus scientiæ in nobis crescunt aut decrescunt pro statu isto, quia status variationis est, et sic ex statu non petunt determinata objecta sicut visio beata, ex substantiali autem individuatione multo minus.

ARTICULUS VI.

Quæ inæqualitas et quomodo invenitur in visionibus beatorum?

Duo hoc articulo inquirenda sunt. Primum, in generali, quid fides sanciat circa inæqualitatem visionum. Secundum, unde proveniat quod inæquales sint, an ex sola diversitate luminis, an etiam ex inæqualitate intellectuum.

QUID FIDES DOCEAT?

I. Sine controversia apud omnes de fide habetur beatitudinem non esse æqualem in omnibus sed diversam juxta cuiusque meritum. Oppositum sensit Jovinianus contra quem errorem agit S. Hieronymus in secundo libro adversus Jovinianum, et de eodem videri potest Augustinus de hæresibus, hæresi LXXXII et lib. de sancta virginitate, cap. XXVI. Eumdem errorem Lutherus attribuit Hossius in confessione, cap. LXXXVII; Soto lib. II de natura et gratia, cap. XX et in IV, dist. XLIX, q. III, art. II. Ex dispari tamen fundamento movebatur Jovinianus, et Lutherus. Nam Jovinianus duceba-

tur ex parabola laborantium in vinea, Matth. XX, quibus unica merces, id est, unus tantum denarius diurnus datus est. Unde et illi qui fuerunt priores in laborando murmurabant adversus patrem familias dicentes : *Quia pares illos nobis fecisti.* Lutherus autem ex illo insano errore ducebatur, quia dixit non esse in nobis veram justitiam, sed solum imputationem meritorum Christi, qua, denominamur justii; hæc autem Christi justitia, unica et eadem est pro omnibus. Fuerunt autem alii qui per aliud extremum dixerunt nullos justos fore æquales in beatitudiue, tum quia dicitur de omnibus I ad Corinth. XIV: *Quod stella a stella differt in claritate, sic erit et resurrectio mortuorum,* nulla autem stella est æqualis alteri. Similiter dicuntur homines in resurrectione æquales fore Angelis, Lucæ XX. Nullus autem Angelus est alteri æqualis, cum specie differant, ergo nec beati.

II. Nihilominus catholice fidei dogma est contra Jovinianum et Lutherum, non omnes beatos esse æquales in beatitudine. Certe res ista licet expresse definita non esset, ita traditiōe ipsa fixa est in Ecclesia catholica, ut hoc pro ejus certitudine sufficiat; constat enim diversum honorem impendere Ecclesiam diversis sanctis. Nam Virginem Beatissimam super omnes Angelos et sanctos veneratur. Apostolos quoque tamquam superiores in beatitudine colit, et sic de quibusdam sanctis præ aliis decernit. Ipsa etiam locutiō Scripturæ id manifeste designat, nam diversitatem majorum, et minorum, et diversitatem graduum in regno cœlorum, et in ipsa beatitudine agnoscit, dicitur enim Dan. XII: *Qui docti fuerant fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternita-*

tes. Item Isai. LV: *Dabo eis in domo mea, et in muris meis nomen melius a filiis, et filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Ubi aperte loquitur de præmio vitæ æternæ, scilicet quod non peribit, hoc enim non potest verificari de aliqua retributione hujus vitæ. Dicit autem habituros eunuchos (id est, virgines, qui se castraverunt propter regnum cœlorum) non melius pro multitudine filiorum, quod competit conjugatis. Quibus duobus locis ex Daniele, et Isaia, correspondent etiam in novo Testamento alia. Nam de claritate stellarum dicitur I ad Corinth. XV: *Stella a stella differt in claritate, sic erit et resurrectio mortuorum.* Ergo in alia vita non erit par claritas, et gloria in omnibus, sed tanta inæqualitas sicut in claritate stellarum; nec erit in sola claritate corporum differentia, sed etiam animæ, cum illa ex claritate, et gloria animæ proveniat. Similiter de diversitate fructuum, qui correspondent virginibus, conjugatis, et viduis, dicitur in parabola sementis, Matth. XIII: *Fructuum affert aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.* Juxta quam metaphoram dicitur etiam II Corinth. IX: *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus, et metet.* Loquuntur autem istæ parabolæ de meritis, et præmiis, ergo in illis ponitur diversitas, et non æqualitas, de quo etiam dicitur I ad Corinth. III: *Unusquisque propriam mercedem recipiet secundum suum laborem.* Ergo non æqualis erit in omnibus, quia labor æqualis non est, neque virtus. Certe, penas futuras esse inæquales in inferno de fide manifestum est, Luc. XII: *Qui cognovit voluntatem Domini sui, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis, qui autem non cognoscit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Et Apoc.